



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

II. De accipiente priuilegium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

Odiōsum, quod in fauorem vnius, & in præjudicium cedit alterius. Aliud est *Perpetuum*, aliud *Temporale*, seu ad tempus. Aliud in foro *conscientia*, quod in externo foro non valet. Aliud in foro *externo*, quod etiam valet in conscientiæ foro.

C A P V T I I .

De accipiente à Superiori Priuilegium.

3. **A** Quónam priuilegium conceditur? Ab eo, qui ferendū legem habet potestatem; quia priuilegium est quædam lex.

4. *Cuīnam est concedendum?* Solis subditis; quia per priuilegium homo à lege eximitur, non autem eximitur à lege nisi qui aliquo modo legi subiiciebatur. Ergo Religiosi & Clerici, qui subditinon sunt, priuilegia à Principe seculari consequi non possunt, neque illus frui. Nego sequelam; quia licet non sint directè subditi Principibus secularibus, nihilominus si Princeps concedat legem ciuilem purè fauorablem, possunt illius beneficio frui; sunt enim aliquo modo subditi, quatenus Principe agnoscunt in iis, quæ Ecclesiastice non officiunt immunitati.

5. *Concedi ne potest priuilegium ignorantis?* Valide conceditur; quia sufficit voluntas concedentis. v. gr. valida est dispensatio voti castitatis, quam pro sponsa infacia dispensationis, sponsus obtinuit: modo tamen ab ipsa acceptetur; alioquin non posset ea licite uti dispensatione.

6. *Priuilegium ne potest validè obtineri pro iniuncto?* Potest, & Superior potest cum subdito renitente in lege dispensare. Imò dari potest casus, quo Superior valeat subditum ad vtendum dispensatione cogere; v. gr. ad non iejunandum in Quadragesima ob aliam utilitatem.

7. *Si priuilegium vni habeat, debet re acceptari?* Potest acceptari debet vel ab eo, cui conceditur: vel ab eo, qui vicē gerit illius; quia priuilegiū concessio est velut quadam donatio facta in priuilegiati fauorem; donatio autem non valet antequam acceptetur. Hoc tamen intelligendum placet de priuilegiis gratiōe concessis; nam quæ in remuneracionem conceduntur, & non ex mera liberalitate, valent, quamvis expressè non acceptentur; quia priuilegiatus scit se remuneratione dignum, ac proinde non omnino priuilegium ignorat.

C A P .